



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Vita & Rebus gestis P. Petri Canisii, De Societate Jesv,
Commentarii**

Sacchini, Francesco

Ingolstadii, 1616

Liberatur diuinitùs ingenti periculo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41515

Borgia, ut ab alio tractari, quàm Canisio nollet; ipsumque ad deuorandum quicquid inesset acerbitalis valdè cohortaretur. Non erant cohortationes necessariae viro obseruantissimo nutuum Præsidium, veroque per se pondere aestimanti rei grauitatem. Accurrit oriente iam hyeme, tempestate horrida, magnisque ac perpetuis imbribus foeda, ut, cui obedientia dux non esset, nec facile esset ausurus, nec abfuturus ab temeritate, si auderet. Inter Montium enim conualles habebatur iter, in quas vndique ab alpinis cacuminibus torrentes præcipitabant. Ibant duo duntaxat Canisius ipse, & Franciscus Rocca: recens creatus Sacerdos, quo adiutore ad scribendum utebatur. Sed nusquam Ductor aberat bonus Angelus, ut manifesto quoque compertum est documento. Iam prope Monasterium venerant Benedictinorum, in Monte situm, cui nomen Etal: sed antequam subire clium inciperent, planities interiacebat, quam Ambro amnis interlabens, auctu pluuiarum effusus in morem stagni totam late obruerat. Nulla viarum restabant vestigia, solum apparebant procul tigilla duo: cum versus ad Roccam constanti fronte Canisius, videsne, inquit,

*Liberatur di-
ninitus ingenti
periculo.*

quit, ea tigilla, Pater: inter ea transeundum est nobis: ibi pons est materia est, cuius illa hinc, atque hinc margines claudunt. In prae bono animo, DEO duce. Crediderim voluisse praere comitem, ut in conspectu positum confirmandi facilius, & si casus ferret, iuuandi copia foret. Horror peruaserat Roccam: tamen haec secum, Hic meus Prouincialis est, & quoniam praegredi iubet, obedientia fretus praegrediar; cumque signo crucis calcaria subdit equo, praeritque: & quanquam in ponte offendet equo, periculum adiit, tamen ambo sospites mirante toto pago qui in conspectu erat; & quia dies feriat, spectabat, ac reclamabat, euadunt. Ad Monasterium inde peruectos, magna caritate Abbas, ac Monachi exceperunt: volentesque continuo viam repetere, nullo modo sunt passis; validum rusticum valido vehentem equo ostentantes, qui vadare nequiuerat vallem, quae descensu montis excipiebat, facile octo passuum patet millia. Exigerent secum reliquum diei, ac nocte postridie imminutis iam aquis cum rustico eodem bene locorum perito ituros. Cessit amantissimorum hospitem imperio Pater, rogatusque ut aliquid in commune ad aedificationem spiritus loqueretur.

queretur, plenam pietatis cohortationem habu-
it. Postero die re diuina peracta, eo, quem dixi, a-
gresti viatore duce via repetitur. Vbi ventum ad
vallem inter alta montium iuga iacentem, nec
Ambro amnis, qui eam quoque interfecat appa-
rebat, nec vlla vsquam camporum, fossarum uē
aut viarum extabant discrimina: opplerāt aquæ,
& exæquauerant omnia, quæ torrentib' magnis
hinc, atque illinc cum strepitu ingenti cadebant
ē montibus, perq; ipsam viam torrens volueba-
tur equorum aluo tenus. Cupiebat Rocca me-
dium inter se & rusticum ire Canisium: Sed cum
Pater abnuisset, præcessit haud de se magis,
quam de illo sollicitus, subindē respectans, quem-
admodum sequeretur. Prosperē satis ad passuum
millia tria progressis, iumentum Canisij (cetera
non malum hoc laborabat vitio) vertigine rota-
ri cœpit, iam iam collapsurum inter altissimas a-
guas. Indē festinanti Patri descendere, vt eques e-
rat minimē doctus: & ad sanctas meditationes a-
nimo plerunque aberrans, pes in stapedem inseri-
tur: implicaturq; sic, vt cum iam alterum humi
pedem fixisset, alter in stapede hæreret pendulus,
captusq; nec ad resiliendum conniti, nec liberari
posset,

posset, vltimo ingruente discrimine, si fortè caderet, vel loco moueretur iumentum. Ita impeditū, ac propè obrutum vndis totum Rocca dum re-torquet oculos, conspicatus, grauius pereulsus cum gemitu exclamauit. Reuerti ad iuuandum molens ab ducerustico absterretur, haud dubiè periturum ipsum vociferante, nec ad aquarum impetum duraturum equum. Nihil ergò nisi ad Deum vota restabāt, & lacrymarum clamores in cælum, cum prospicit hominem peditem haud multo spatio prægredientem, nunquam ad id loci, quamquam aperta erant, & plana omnia, velut in lacu, visum. Aduocat extemplo. Absq; mora validis ille gressibus torrentes findens vertices appropierat: ad Canisium euadit: exemptoq; pede eum, & equum in sicca ad latus prata subducit. Eo & Franciscus incitat equum, defilitq; & in cari Patris ruēs amplexus. Vt angebar, inquit, quod opem ferre, cum auerem, nullam possem. Cui Pater, affirmo tibi nunquam me perindè tranquillo animo, ac læto fuisse; mecumq; aiebam, Cupio dissolui, & esse cum Christo. Tum ad hominem, qui tulerat opem, ore iucundo, ad hospitium, inquit vna prandebimus, & persoluam tibi debitū

Singularis animi tranquillitas in discrimine vltimo.

ex vi.